

In illo témpore:

- ⁵ Quibúsdam dicéntibus de templo
quod lapídibus bonis
et donis ornátum esset
dixit Iesus:
- ⁶ «Hæc, quæ vidétis,
vénient dies
in quibus non relinquétur lapis super lápidem,
qui non destruátur».
- ⁷ Interrogavérunt autem illum dicéntes:
«Præcéptor,
quando ergo hæc erunt,
et quod signum, cum fieri incípient?».
- ⁸ Qui dixit:
«Vidéte, ne seducámini.
Multi enim vénient in nómine meo dicéntes:
“Ego sum” et “Tempus appropinquávit”.
Nolíte ergo ire post illos.
- ⁹ Cum autem audiéritis próelia et seditiões,
nolíte terréri;
opórtet enim primum hæc fieri,
sed non statim finis».
- ¹⁰ Tunc dicébat illis:
«Surget gens contra gentem
et regnum advérsus regnum;
- ¹¹ et terræ motus magni
et per loca fames et pestiléntiæ erunt, terrorésque
et de cælo signa magna erunt.
- ¹² Sed ante hæc ómnia incipient vobis manus suas

- et persequuntur tradentes in synagogas et custodias,
et trahimini ad reges et praesides
propter nomen meum;
- ¹³ continget autem vobis in testimonium.
- ¹⁴ Ponite ergo in cordibus vestris
non praemeditari quemadmodum respondeatis;
- ¹⁵ ego enim dabo vobis os et sapientiam,
cui non poterunt resistere vel contradicere
omnes adversarii vestri.
- ¹⁶ Trademini autem et a parentibus et fratribus
et cognatis et amicis,
et morte afficient ex vobis,
- ¹⁷ et eritis odio omnibus propter nomen meum.
- ¹⁸ Et capillus de capite vestro non peribit.
- ¹⁹ In patientia vestra possidebitis animas vestras».

Verbum Domini.